52

Serenissime et potentissime Rex, fidei defensor acerri-
me et constantissime, Domine clementissime, R. Vae
Mti obsequia nostra promptissima, studia ac officia
paratissima humiliter et submissè offerentes non dubi-
tamus, R. Vam Mtem ~~illam~~ clementissimè adhuc illarum recordari
literarum, quas pro obtinenda aequissima moderatione,
si non totali gratiosissima abolitione illorum onerum,
quibus praeter solitum hactenus et consuetum morem nostri in R.
Vae Mtis regno Scotiae subjectam Insulam
Hitlandiam quotannis navigantes, ~~et ibidem mer-
caturam exercentes~~ cives tam nautae quam merca-
tores premuntur, ante anni ferè spatium R. Vae
Mti inscripsimus, quasque eidem rectè traditas esse,
ex transmissa nobis, et adjuncta huic temporis omni-
nati rescripti regii copia cognovimus. Cum verò
certum ad nostras literis illis insertas aequissimas
petitiones à R. Va Mte responsum nondum obtinuimus,
minimè de oneribus illis remissum quid nostris, imò
illa ipsa potius adaucta esse, et indies magis magisque
adaugeri percepimus, summopere necessarium ~~consultum~~ judicavimus
memoratarum literarum nostrarum copiam his includere, &
R. Vam Mtem denuò repetitis precibus quam

C5:a

1614 ~~Martz~~ 16. cal. Mart.

humillime obtestari, ut pro singulari sua Regia clemen-
tia dignetur non modo prioribus consignata literis
l ~~An~~ gravamina onera, sed et, quae ijs postea addita ~~fuerint~~, si non prorsus
tollere, et nostros ab ijs liberare, saltem ex aequo &
bono eadem ita moderari, ut antiqua majorum immu-
2 ~~ni~~tate nostris uti frui liceat, et commercia ~~omnes res~~ sublatis gra-
vaminibus in pristinum libertatis statum reducantur. ~~Et quod~~
~~facile R. Vae Mtas effecerit, si illis, qui ejus nomine~~
~~singulis annis in Hislandiam justitiae administrandae~~
~~gratia ablegantur, expressum severum et & inquisi-~~
~~tione super hac re instituenda et competentibus~~
~~huic malo adhibendis remedijs mandatum dare, illi~~
~~placeat.~~ Cui justissimae nostrae petitioni si R. Vae Mtas
+pro aequitate causae ut illam + facturam certo confidimus, annuerit, summi
istius obtenti beneficij memoriam nunquam ex animo
nostr~~o~~ deposituros spondemus, et ad omnia quaecunque à
nobis ~~pro~~ fieri potuerint quamvis exigua studia, officia
et servitia vicissim non tantum nos obligamus, sed
et obligationis illa, quavis oblata ~~et~~ occasione,
liberare sedulò laborabimus, Clementissimum
desuper regium responsum petentes et expectantes,

simul R. V.ae M.ti à Deo ter Opt. Max. diuturnam, pacificam et felicissimam florentissimorum regnorum administrationem precantes. Datae sub secretiori Civitatis nostrae sigillo 16 Cal. Martis Anno redemptionis nostrae 1614.

Regiae V.ae M.tis

Studiosissimi et obsequentissimi

Consules & Senatus Reipub: Bremensis.

Senatus

Ad Regem Magnæ Britanniæ.

pro civibus in Hitlandiam navigantibus.

De dato 16 Cal. Martij 1614.